



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. Vtrum fides sit necessaria ad salutem necessitate medij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

pro illa parte ferendum. Tunc ergo, quandiu voluntas non determinat intellectum ad assensum vnius partis, manebit utraque apprehensio sine iudicio, & cum utraque apprehensio proponat obiectum, altera ad odium, altera ad amorem Petri, poterit voluntas alteram eorum sequi, & elicere actum absolutum amoris, vel odij, sicut posset ex iudicio probabili. Hic tamen casus raro, ut dixi, contingit, quia voluntas regulariter solet applicare intellectum, & cogere, ut sententiam proferat iudicando de maiori saltem probabilitate vnius partis, vel de aequalitate probabilitatis, vel aliquo alio modo.



DISPUTATIO XII.

De necessitate fidei ad salutem,
& prius de necessitate
medij.

- SECTIO I. *Utrum fides sit necessaria ad salutem necessitate medij.*
 II. *Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium salutis eterne.*
 III. *Argumenta contra fidei necessitatem proponuntur, & dissoluntur.*
 IV. *Utrum semper fuerit, vel nunc sit necessaria necessitate medij fides explicita Trinitatis & Christi.*
 V. *An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate medij.*

DE hoc agit Sanctus Thomas *questione 2. articulo 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* ubi aduerte titulum articuli tertij non esse positum iuxta mentem S. Thomæ. Sic enim habetur: *Utrum credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem.* Et tamen postea in fine responsionis in corpore solum concludit: *ad hoc quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur quod credat Deo; non autem dicit supra rationem naturalem; & in principio articuli, unde titulus articuli desumi solet, solum dicitur: videtur quod credere non sit necessarium ad salutem; quare hic deberet esse titulus. Utrum credere sit necessarium ad salutem: non enim agitur in hoc articulo de qualitate obiecti credendi, sed de necessitate aliquid credendi. Est autem hæc necessitas duplex; altera medij; altera præcepti: de prima agemus in hac disputatione, de secunda disputatione sequenti comprehendentes doctrinam horum articulorum.*

SECTIO I.

*Utrum fides sit necessaria ad salutem
necessitate medij.*

IN necessitate medij dicitur necessarium illud, sine quo etiam inculpabiliter omisso non potest haberi salus. De differentia autem inter

necessitatem medij, & præcepti dixi *disput. 3. de Eucharistia sect. 1.* que videri possunt; neque hic sunt iterum repetenda. Nunc ergo agimus de necessitate medij: & in hoc sensu est gravis difficultas, an fides sit ita necessaria, ut nullus inquam sine fide salvari possit, cum sola naturali cognitione Dei, & boni honesti. In qua fuit opinio, vel error Pelagij docentis, non solum hominem sine auxilio gratiæ posse credere, sed etiam in lege naturæ potuisse hominem salvari sine noticia alicuius veritatis reuelatæ, sed cum noticia ex viribus naturæ, ut refert Augustinus *heresi 88. & 1. de gratia Christi cap. 4. 1. & lib. 2. cap. 26.* omittit etiam Manichæos, qui contendebant, nihil esse credendum, quod non possit evidenti ratione demonstrari, contra quos latè Augustinus *lib. de utilitate credendi.*

Inter Catholicos non desunt, qui dicant, hominem posse in aliquo casu iustificari sine actu fidei. Ita docuit Vega *lib. 6. in Tridentinum, capite 17. 20. & 21.* Vbi dicit, se multis annis de hac cogitasse, & cum viris doctissimis consultasse. Idem tenuit Sotus *2. de natura & gratia, cap. 11. in 1. edit.* postea tamen re melius inspecta, eam sententiam prudenter retractavit in *2. edit. & in 4. distinct. 1. quest. 2. art. 3. & in fine 4. retract. 4.* Dissert tamen Vega à sententia Soti, quod Sotus postuler auxilium gratiæ saltem ad actum voluntatis, quo se homo ad iustitiam disponit: Vega vero nollam supernaturalitatem videretur desiderare, nec quoad substantiam, nec etiam quoad modum parte intellectus, & voluntatis. Alij tamen prædictam sententiam temperant postulantes eam ex parte intellectus aliquid auxilium gratiæ, licet non ad credendum; ad cognoscendum tamen obiectum honestum, vel bonitatem Dei per nobiliorem notitiam, quam ex viribus naturæ habent. Fundamenta verò huius sententiæ postea adducemus. Alij è contra ita necessariam esse dicunt fidem ad salutem, ut nec de potentia Dei absoluta poterit fieri voluntas supernaturalis sine cognitione supernaturali rerum fidei: quos refertur Turrianus *disput. 25. dub. 3. & Coninch. disput. 14. dub. 8. num. 94.*

Communis, & vera sententia docet, neminem adultum de facto posse iustificari sine aliquo actu fidei. Dixi *iustificari*: quia si ponatur aliquis puer habens iam habitum gratiæ in baptismo susceptum, & qui postquam ad usum rationis venit, statim moritur absque eo quod habuerit occasionem credendi, vel negandi, imo nec cogitandi de rebus fidei; non video, cur ille non salvetur sine actu fidei, nam licet moriatur adultus, non tamen fuit adultus, quasi formaliter in illa materia, cum circa eam nunquam ut adultus habuerit occasionem operandi, quod idem notavit Suarez in *presenti disput. 12. sect. 2. num. 10.* quam quia non vidit Granado, dixit *tract. 10. disput. 1. num. 9.* neminem igitur solum procedi ad actum fidei. Quæstio igitur solum procedit de adulto peccatore, qui debet iustificari, ut salvetur; & de hoc dicimus cum communi debere habere actum fidei ante ipsam iustificationem. Auctores pro hac sententia vide apud Valentium in *presenti quest. 2. puncto 2.* quam etiam sequitur Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 28. sect. 2. & in presenti disput. 12. sect. 2.* & alij omnes communiter.

Probatum primò ex Scriptura passim docente, sine fide neminem accipere salutem. Paulus ad *Rom.*

Rom. 1. & ad Galat. 3. probat ex illo Habacuc. *Iustus ex fide vivit.* Item ad Galat. 2. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis, sed per fidem.* Ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem ad Deum oportet credere.* Et passim in suis epistolis. Affert etiam potest illud Sap. 9. *Per sapientiam sanari sunt quicunque tibi placuerunt a principio, id est, per fidem, ut explicat Ambros. 1. Timoth. 3.*

Secundo probatur ex Conciliis, Arausic. & Milevitan. quæ adducit Valentia *vbi supra*, Tridentino sessione 6. cap. 7. vbi de Baptismo dicitur, quod est *Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit iustificatio.* Et cap. 8. *Fides dicitur esse humane salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis,* & cap. 6. dicit, disponi homines ad iustitiam, dum divina gratia adiuvit; *fidem ex auditu concipientes; liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt.* Tertio probatur ex PP. Augustino sermone 38. de tempore: *Sine fide, inquit, nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa neque in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam;* vide alia plura testimonia Augustini, Irenæi, Basilij, Ambrosij, & Leonis apud Valentiam, quibus adde eundem Augustinum lib. de natura & gratia cap. 2. vbi sic ait. *Si natura humana sibi posset sufficere ad implendam legem; perficiendamque iustitiam; de premio debet esse secunda, etiam si fides aliquo tempore eam latuit sanguinis Christi, & postea. Quod si potuit, aut potest: hoc & ego dico quod de lege dicit Apost. ad Galat. 2. ergo Christus gratis mortuus est.* Igitur verò Augustinus de lege naturali: ait. *ibidem, Si hoc ille dixit de lege, quam accepit gentes Iudeorum, quanto iustus dicit de lege nature, quam accepit uniuersum genus hominum: si per naturam iustitia, ergo gratis mortuus est Christus, & postea subdit: si autem non gratis, ergo omnis humana natura iustificari ab ira iustissima Dei nullo modo potest, nisi per fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.*

Dices, prædicta loca intelligi de fide habituali, vel de fide in re, vel in voto, sine qua non potest haberi salus. Sed contra, quia Paulus expresse agit de actu credendi, quando ait: *accedentem ad Deum oportet credere.* Credere enim ipsum actum significat, nec Patres de habitibus, sed de actibus curant, & loquuti sunt. Deinde non loquuntur de fide solum in voto: quia si hæc sufficeret, non bene argueret Paulus, Henoch habuisse fidem ex eo, quod placuit Deo: potuisset enim placere sine fide, solum cum voto habendi illam. Item non bene diceretur fides principium omnis salutis, & iustitiæ, si sufficeret voluntas habendi illam: illa enim voluntas esset fundamentum salutis. Deinde de aliis, quæ sufficiunt in voto, id colligitur ex eadem Scriptura alibi promittente salutem contritioni, aut voto baptisimi, &c. quod nunquam inuenitur de voto fidei.

Adverte tamen, Theologos aliquos Recentiores ingeniose excogitasse sententiam aliam mediam, qua ita definitiones Conciliorum, & Patrum tuerentur, ut tamen necessitatem hanc ad salutem magna ex parte temperarent: dicant enim requiri verè ad salutem cognitionem, quæ sit non ex viribus solius naturæ, sed ex beneficio, & gratia Dei, imò quæ sit supernaturalis in substantia: quod potissimum Concilia, & Patres aduer-

sus Pelagium voluerunt contendente, posse hominem per notitiam ex solius naturæ viribus habitam disponi sufficienter ad iustificationem, & salutem. Addunt tamen, hanc notitiam supernaturalem non semper esse fidem strictè acceptam; id est, quæ credatur aliquid propter testimonium Dei reuelantis, propter communiter fide credimus, quæ ab Ecclesia proponuntur, sed sufficere notitiam de eisdem obiectis comparatam ex creaturis ostendentibus nobis bonitatem Dei creatoris, & honestatem virtutis, vel ex aliis rationibus comparatam: quam tamen notitiam dicunt de facto esse supernaturalem; quia postquam Deus eleuauit hominem ad finem supernaturalem, præsto est ex parte sua, ut quoties proponitur nobis obiectum aliquod, quod possit terminare voluntatem honestam, vndeunque nobis proponatur, Deus eleuet nostras potentias, ut simul cum actibus intellectus, & voluntatis naturalibus, quos circa obiectum illud exercet, eliciat etiam alios actus supernaturales intellectus, & voluntatis circa idem obiectum, qui proportionem habeant cum fine supernaturali, ad quem homo de facto supponitur eleuatus. Vnde quando Philosophi Ethnici ex cognitione creaturarum, verbi gratia, deueniebant in cognitionem Creatoris, & vnus Dei supremi, Deus eleuabat eorum mentes, ut haberent cognitionem aliam supernaturalem eiusdem Dei per creaturas, ut possent per actum etiam supernaturalem voluntatis Deum colere, & ipsum amare dilectione super omnia, ex vi cuius dispo-nerentur vltimò, & proximè ad gratiam iustificationis: quod idem concedunt quoties circa aliquam aliam materiam moralem exercebant actum aliquem honestum; semper enim disponebant se saltem remotè ad salutem, non per actus naturales, sed supernaturales, quos simul cum actibus naturalibus eliciebant. Hanc autem notitiam supernaturalem, quæ sæpe erat euident, sicut & notitia naturalis de Deo, & honestate obiecti honesti, plerumque est euident; dicunt appellari posse fidem non strictè, sed latè acceptam: sicut, & creature ipsæ dicuntur loqui nobis, & enarrare suum Creatorem tanquam lingua ipsius Dei, seu ut liber, in quo legere possumus diuinas perfectiones, in quo sensu *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum,* & ideo nemo excusari potest, quia in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines Orbis terra verba eorum. Vnde colligunt, quomodo Deus sufficienter prouiderit omnibus media ad salutem, etiam iis, ad quos Christianæ fidei, & Evangelij notitia numquam peruenit. Omnes enim habent aliunde notitiam supernaturalem sufficientem, cui, si voluntate consentiant, elicere poterunt actus supernaturales vitales ad salutem, imò poterunt peccata detestari, & Deum super omnia diligere, & iustificari, quomodo de facto per similem cognitionem, & dilectionem ex ea ortam iustificati sunt Iob, & alij similes: non quidem omnino sine fide saltem latè sumpta, sed tamen sine fide illa stricta, quæ in reuelatione fundatur. Ad quod probandum multa latè, & doctè congerit Ripalda *tom. 1. de ente supernaturali disput. 20. sect. 21. 22. & 23. & disputat. 63. per totam, qui quamuis disput. 20. num. 123. & disput. 63. num. 19. & 25. fateatur, se id totum in disputationem solum adducere nihil de re ipsa definiendo, propter communem Theologorum sensum exigentium propriam & strictam fidem ad salutem; satis ta-*

men indicat, quantum in sententiam illam propendeat, & quantum probabilitatis ei tribuat. Cuius proculdubio sententia meminit P. Hurtado, qui licet eam typis editam nondum legisset, vidit tamen in manuscriptis illius Auctoris, qui ei Collega erat, & ideo *disp. 40. sect. 6. §. 30.* fatetur hanc opinionem nihil contra fidem Catholicam continere, quia Paulus Apostolus & Concilia voluerunt tantum probare imbecillitatem naturæ ad iustificationem, & necessitatem gratiæ, quæ datur ex meritis Christi.

7 Ego fateor, hanc sententiam distare ab illa Andree Vega, & Soti, quam ipse Sotus postea retraxit, & quam acerbiori censura notare solent Theologiam Suarez in *presenti disputatione 12. sectione 2. numero 5.* dicit, esse errorem in fide, Cano, cuius censuram approbat Granado *tract. 10. disputatione 1. num. 5.* dicit esse erroneam, & fortasse hæreticam, Hurtado *vbi supra §. 22.* cum alijs, quos affert, dicit esse hæreticam: & tamen de hac alia sententia subdit, nihil contra fidem continere: quia nimirum Vega, & Sotus dicebant, per notitiam solius naturæ viribus comparatam posse hominem ad iustificationis gratiam pervenire, quod tamen hæc alia sententia negat, & exigit notitiam supernaturalem & infusam ex mentis Christi.

8 Adde deinde, si sensus huius opinionis esset solum quod sine actu fidei orto ex propositione Ecclesiæ potest aliquis disponi ad iustificationem, nihil nouum aut falsum diceret, sed iuxta probabilissimam multorum sententiam, qui ad actum fidei diuinæ ortum etiam ex habitu, quem habemus, dicit, non requiri necessarium, quod obiectum credendum proponatur per Ecclesiam. Quem sensum indicat aliquando idem Ripalda, qui sæpe dicit, nomine *fidei strictæ*, quam negat esse necessariam ad singula merita, vel ad omnem iustificationem, intelligi fidem fundatam in testimonio Dei per Ecclesiam propositum. Sic loquitur disputatione 20. numero 115. in fine concludens, *quod ante doctrinam externam fidei potest illustrari intellectus cognitione supernaturali ad dilectionem Dei necessaria, & sufficienti.* In quibus verbis solum excludit necessitatem doctrinæ externæ. Item numero 120. in fine eodem modo concludit. *Ad fidem igitur necessariam ad salutem reuocantur plures cognitiones supernaturales, quæ sunt ante propositionem Ecclesiæ, & assensum intellectus præstitum præter reuelationem externam Dei.* Et clarius postea disputatione 63. num. 7. vbi dicit fidem strictam voco assensum obiecti propter testimonium Dei propositum ab Ecclesia ministerio externo, & vocali hominum, qualem habent fideles regulariter fidem Theologicam ex auditu concipientes. Quo etiam modo loquitur numero 20. probans ex Augustino, assistente misericordia & providentia supernaturali Dei absque instructione externa ministrorum Ecclesiæ, posse omnes homines amore prosequi Deum. Quod idem repetit numero 21. in principio excludens propositionem externam Ecclesiæ, & postea numero 22. in principio dicit, *seorsim a fide Theologica, quæ innititur testimonio ab Ecclesia propositum, prouidetur à Deo cognitio supernaturalis bonitatis diuinæ, & malitiæ peccatorum opposita Deo.* Et iterum numero 24. paulo post principium dicit: *cognitio autem Dei paria ex sola meditatione creaturarum non pertinet ad fidem strictam, quæ solum innititur testimonio Dei ab Ecclesia propositum, & denique numero 26. initio*

dicit: *ceterum non est requisita fides stricta quæ sit assensus reuelationis diuinæ ab Ecclesia propositæ.* Quæ repetitio adeo frequens propositionis Ecclesiæ, quam dicit non requiri, videtur limitare prædictam sententiam; sed reuera mens illius auctoris non fuit illorum solum sententiam probare, qui dicunt, posse dari actum fidei diuinæ sufficientem ad salutem in eo, qui ignorat Ecclesiæ propositionem: illa enim sententia non est singularis, quam singularitatem ipse fatetur in hac alia sententia, quam idcirco non audet omnino asserere: & constat satis ex discursu vtriusque disputationis, in quo vult probare, sufficere actum supernaturalem ortum ex noticia comparata ex creaturis, vel alijs principiis naturalibus secunda omni reuelatione, aut reificatione Dei, dum tamen actus ille sit supernaturalis, prout semper dicit esse, assistente, & eleuante Deo mentem nostram per concursum supernaturalem.

Addo præterea, si sententia illa ita temperetur, ut non excluderetur omnis reuelatio, & reificationio à motu illius assensus supernaturalis, magis apparet, & minus diuè sustineretur, dicendo nimirum per illum etiam actum, hominem credere Deo testificanti, & manifestanti se ipsum per creaturas, quasi per voces, aut librum à Deo editum ad se ipsum hominibus manifestandum. Nam sicut miracula, signa, &que potentia appellantur à Patribus voces, & signa, quibus mysteria abscondita Deus hominibus committitur, & confirmat; posset etiam aliquo modo dici, quod Deus per effectus, & opera naturalia manifestare intendit nobis attributa sua, quæ potentia supernaturalis illo modo comparata dici posset saltem late fides, quæ homo Deo creditur testificanti, & manifestanti hominibus suas perfectiones. Quem sensum videtur etiam ille Auctor aliquando indicare; nam dicta *disp. 20. numero 117.* ita loquitur: *Tertio, esto, fides stricta elicitur ab habitu fidei in re necessaria sit, non improbabilius dicitur cognitionem Dei in creaturis elicitam esse ab habitu fidei, & habitum fidei non solum ad reuelationem Dei factam per verbum ipsum, sed etiam factam ministerio creaturarum extendi posse.* Vbi illam etiam appellat reuelationem Dei, & clarius numero 120. ad hoc ipsum affert & ponderat verba Pauli ad Rom. 10. *Nam quid non audierunt? & quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Et dicta *disp. 63. num. 7.* sic ait: *Fidem latam voco illam, quamcunque cognitionem supernaturalem beneficii partam ex testimonio externo creaturarum irrationalium, aut ex inspiratione interna Dei, quam Deus seu vocem inserit auditui mentis, eruditi in interiori schola hominem absque voce exteriori secus sonante, ut frequenter docet Augustinus, proptereaque cum ipso vocationem diuinam usurpant Theologi, quod amuletur vocem externam ministrorum Ecclesiæ, quæ in auditum externum fidelium testimonium deferit.* Et numero 8. latius ex Scriptura, & Patribus probat, Deum nobis per creaturas irracionales loqui adducto iterum testimonio illo Pauli ad Roman. 10. *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei: quod verbum Dei dicit Paulus, auditum esse ab omnibus, iuxta illud Psalm. 18.* *Nam quid non audierunt? & quidem in omnem terram exiit sonus eorum, &c.* quæ Psalmi verba Augustinus, Caliodorus, Atobius, & alij Patres de vocibus creaturarum irrationalium intelligunt; & ideo Chrysostom. homil. 9.

homil. 9. ad popul. Antioch. post multa concludit: *Scilicet, & Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnis homo super terram incedens, hanc vocem audiet, non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram, & iterum idem Chrysostom. Non simpliciter, inquit, auditum dixit, quod humana verba, audire oporteat, & credere sed sublimis est hic auditus: est enim auditus per verbum Dei. Deo siquidem tam loquenti, quam mirabiliter operanti aequè credere, & obedire oportet. Ad quod etiam affert verba Pauli Act. 14. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de Celo, dans pluviam & tempora fructifera, implens cibo, & letitia corda nostra, ex quibus ille Auctor concludit: Itaque fides, qua Deo credimus, auditus, quo Dei verba capimus non solum Deo loquenti, sed etiam operanti creaturas, qua suo aspectu nos provocant in amorem, & gratitudinem Dei exhiberi potest. Et iterum, praeferat generationes adorantes alios Deos, & à vera fide declinantes inexcusabiles predicat Paulus quod testimonio veri Dei, quod celi, & pluviae, tempora fructifera, & providentia quotidiana uniuersi reddunt, assensum fidei non praeberint. In quibus omnibus locis videtur ideo hanc notitiam insulam appellare fidem, quia habeat pro motiuo testimonium, & voces Dei loquentis nobis, & reificantis per creaturas suas, quae cum non possint ex se loqui, necesse est, ut si voces sunt, sint voces Creatoris, qui loquitur per ipsas.*

Ceterum, licet Auctor ille hanc explicationem indicet, ut vidimus, credo tamen eam ad maiorem abundantiam attulisse, non ut doctrinam ad eam adstringeret: non enim erat vniuersalis, cum ipse non solum ponat actus illos supernaturales suppletes pro fide stricta, quando cognoscimus ex creaturis aliqua Dei attributa, quae possunt nobis à creaturis manifestari, sed etiam quoties proponitur nobis honestas, vel turpitudinis moralis cuiuslibet obiecti, in quod voluntas possit per amorem, vel fugam honestè tendere. Illa autem notitia non accipitur à creaturis, quasi experimentibus loquutionem Dei, quando enim videmus proximum indigentem, vel benefactorem nostrum opem nostram implorantem, dictamen rationis iudicat honestum subuenire indigenti, benefactori etiam gratos esse, nec tunc recordamur vlllo modo Dei, quasi id nobis Deus per dictamen rationis loquatur, sed ex terminis cognoscimus honestatem eorum obiectorum; illa ergo notitia non innititur vlllo testimonio vel reuelationi Dei per se, vel per creaturas loquentis, nec ex eo capite poterit vlllo modo fides appellari, quidquid sit de aliis actibus, quibus ex creaturis cognoscimus perfectiones Dei, qui sese nobis per creaturas manifestant.

Ego de re ipsa ita iudico, difficile, & durum in primis videri concedere, quod absque fide illa, quam strictam vocant, & quae habet pro motiuo veram, & proprium reuelationem Dei, de facto aliquis adultus iustificetur: deinde non ita durum esse, quod ante fidem strictam praecedant illustrationes, & cognitiones supernaturales, ex quibus procedant aliqua voluntates supernaturales, quibus homo de congruo se disponat ad fidem, & remore ad iustificationem; hoc tamen ipsum in vniuersum, & cum hac generalitate apud me falsum esse. Prima pars huius assertionis, qua negamus iustificationem adulti contingere ante fidem strictam à nobis explicatam, colligi videtur ex

communi Theologorum consensu, propter quem Luitius Turrianus in *disputationibus selectis centuria 1. censurarum Theologicarum*, dub. 64. dixit id non posse sine temeritate, & errore negari. Colligitur etiam ex verbis Scripturae & Conciliorum supra adductis, quae ad minus hoc videntur significare. Hoc enim significare videtur Paulus, dum dicit, *accedentem ad Deum oportet credere*: ille quippe, & tunc potissimè accedit ad Deum, qui ex statu peccati, in quo erat longè à Deo positus, transit ad statum filij Dei per iustificationem, nec potest de fide in voto intelligi, nam Paulus fidem actuale probare volebat in Henoch, quam probat ex eo, quod omnis accedens ad Deum, necesse est, quod credat Deum esse, & remuneratorem esse; quae probatio fallax esset, si sufficeret fides in voto, sicut non bene probaretur aliquem reituisse iniuste ablata, ex eo, quod poenitentiam egit, cum eam potuisset agere, & non restituere, excusante eum impotentia, vel ignorantia, & habendo solum votum restituendi.

Nec etiam praedicta verba possunt intelligi de fide illa lata, hoc est de notitia Dei ex creaturis comparata: quia Concilium Tridentinum *dist. sess. 6. c. 6.* expressè dicit verba illa Pauli, *Accedentem ad Deum oportet credere*, &c. intelligi de fide illa, qua homo liberè mouetur in Deum credens vera esse, quae diuinitus reuelata, & promissa sunt. Notitia autem illa, qua ex creaturis cognoscitur Deus earum auctor, in primis non est libera, sed necessaria, cum sit plerumque euidens, prout aduersarij etiam eam euidentem fatentur esse. Deinde non habet pro obiecto reuelationem, aut promissionem Dei, cum creaturae non ostendant, Deum aliquid reuelasse aut promississe reuelatio enim, & promissio libera fuit Deo, & potuit neutra poni etiam positis, creaturis. De alia ergo fide loquitur Paulus, & de alia intellexit illum Tridentinum, nempe de fide propria, quae fundatur in reuelatione Dei nobis obscurè propostita, & quam ideo liberè acceptare possumus; vel respondere, non de cognitione euidenti Creatoris comparata non ex auctoritate, sed ex ratione à posteriori, & quam non liberè, sed necessariò accipimus. Fides autem necessaria ad salutem semper apud Concilia & Patres exigitur cum libertate: ideo enim in Concilio Toletano IV. cap. 23. generaliter dicitur, *quod fides debet esse libera*, & apud Concilia & Patres exigitur cum libertate. Et alia ad duximus supra agentes de necessitate imperij voluntatis ad fidem. Vnde confirmari rursus potest, quia fides, quam ex Paulo exigit Tridentinum, tanquam dispositionem ad iustificationem, est de Deo remuneratore, ut constat ex verbis Pauli, & Concilij: ubi nomine remunerationis intelligi remunerationem supernaturalem beatitudinis, quam Deus promisit, certum omnino esse ex Theologorum omnium sententia, docet Suarez *illo lib. 6. sect. 3. num. 8.* certum autem est, hanc remunerationem supernaturalem credi non posse sine reuelatione diuinæ promissionis, cum creaturae naturales ostendere nobis non possint, quod Deus talem remunerationem decreuerit. Fides ergo, de qua Paulus loquitur debet esse fides in diuina reuelatione fundata, & de hac fide intelligit ea verba Basilij cōcone in psalm. 115. super illa verba *Credidi propter quod loquutus sum*: ubi commendans fidem, quae supra rationales methodos animam ad assensum trahit, hoc

Fides necessaria ad salutem, semper apud Concilia & Patres exigitur cum libertate.

hoc est, supra rationes aliunde habitas, dicit de hac fide loqui Paulum verbis illis: *accedentem ad Deum oportet credere*, &c. Notitia autem Dei ex creaturis non est supra rationales methodos, sed ex ipsa naturali ratione deducta, ut constat: unde licet sit actus supernaturalis, innititur tamen ratione naturali, & ideo nomine fidei intelligi non potuit à Paulo. Alij etiam Patres similiter semper distinguunt fidem ab ea notitia, quæ discitur, vel ratione humana nititur, eo quod fides sola diuina auctoritate mouetur. Sic loquitur Chrysostom. homil. 32. in Ioannem: *Fide*, inquit, *nobis opus est dilectissimi*, (esse loquitur de fide, quæ necessaria est) *fide inquam, bonorum matre, salutis medicina*. Cui fidei postea opponit notitiam ex rationibus comparatam. *Qui suis*, inquit, *nitiuntur rationibus, ante cognitam veritatem naufragium faciunt*, eodem modo loquitur Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 41. his verbis: *quid agit, aut quò, vel quâ, ut ad beatitudinem perueniatur, humana se porrigit infelicitas* (loquitur de discursibus Philosophorum) *si diuina non ducit auctoritas*. Quamuis autem ponatur cognitio illa supernaturalis, tota tamen innititur rationi humanæ desumptæ ex creaturis, nec transcendit ex parte obiecti, aut motiui argumenta Philosophica, cum nullo modo nitatur auctoritate diuina, nec ad eos assensus diuina ducat auctoritas, sed naturalis ratio, & humani discursus argumenta, quæ apud Concilia & Patres distinguuntur à fide, sine qua tamen nulli vnquam coniungit gratia iustificationis, ut dixit Tridentinum sess. 6. cap. 7. Hæc de prima parte nostræ assertionis: nunc transeamus ad alteram de fidei necessitate ad opera alia meritoria in ordine ad salutem æternam.

SECTIO II.

Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium salutis æternæ.

13

Dixi, minus durum esse concedere actus bonos supernaturales ante fidem propriam ortos ex cognitione supernaturali Dei ex creaturis, vel honestatis moralis tamen absolutæ, & cum illa vniuersalitate falsum apud me esse. Scio enim, aliquos graues doctores ponere de facto ante fidem actus bonos naturales ortos ex cogitatione congrua naturali, quæ tamen sit gratia per Christum, qui actus naturales disponant, ut merita congrua ad percipiendam fidem, & remore ad iustificationem. Facilius autem id defendi potest ponendo eiusmodi actus bonos morales supernaturales in substantia, & ortos ex cogitatione supernaturali, prout proponuntur à Ripalda, qui quoad hoc magis Theologicè, & consequenter videtur mihi loqui. Et quidem P. Vasquez 1. 2. disp. 189. num. 136. & disp. 190. num. 132. planè concedit, ante fidem dari in infidelibus actus bonos naturales, qui mereantur de congruo, & disponant, ad obtinendum donum fidei: quam sententiam ex parte tuerit Luisius Turrianus de gratia opusculo 2. disp. 4. dubio 26. & 27. vbi admittit illa opera fieri ex gratia per Christum, negat tamen esse merita congrua respectu fidei. Vtrumque verò concedit Coninch.

in tract. de fide, spe, & charitate disputat. 24. dub. 6.

Contraria sententia communis est omnium fere Theologorum, qui docent, ante fidem nullum dari meritum ipsius fidei, & in hoc sensu nullum esse initium, & fundamentum nostræ iustificationis. Videatur Suarez lib. 1. de gratia, cap. 17. & lib. 1. de predestinatione, cap. 16. num. 24. & videtur esse omnino de mente Augustini, qui semper reducit primam de gratiam in illud auxilium, quod datur ad credendum; quod quia non datur ex meritis, ideo dicit primam gratiam non esse ex meritis. Ita loquitur libro de gratia, & libero arbitrio c. 7. vbi ait, ideo Apostolum docere, iustificari hominem ex fide, non autem ex operibus, non ex opera excludat, sed quia opera iustitia sunt ex fide, non ex operibus fidei, ac per hoc ad illa sunt opera iustitia, à quo est fides. Et de predestinatione Sanctorum, cap. 7. ideo, inquit, Apostolus docet iustificari hominem ex fide, non ex operibus, quia ipsa prima datur, unde imperentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur. Et præfatione in psal. 1. hac ratione ait, conciliari sententiâ Pauli, & Iacobi, quorum Paulus dicit, iustificari hominem per fidem, non ex operibus, Iacobus autem dicit iustificari ex operibus, & non ex fide tantum, quia Paulus loquitur de operibus factis ante fidem, Iacobus verò de operibus, quæ consequuntur fidem, & unde concludit: debemus ergo nulla opera preponere fidei, ita ut ante fidem dicatur quispiam bene operari, & postea inferat opus illud Abrahæ, cum voluit immolare filium, habuisse fundamentum, & radicem in fide, quia quæcunque illud opus esset præter fidem, nihil illi prodesset. Hoc ipsum repetit lib. 8.3. questionum, quæst. 76. ep. 106. vbi cum diceret, non exigendam solam gratiam remissionis peccatorum à Relegio, rationem reddit, quia hæc non est omnia sine merito, quando quidem fides illam imperat, & concludit. Restat igitur, ut ipsam fidem unde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque ullis meritis, sed gratiam Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus; quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita. Probat autem hoc Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 3. ex illo Pauli ad Ephes. 2. gratia salus facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Ex quibus verbis sic concludit: illud ergo, unde incipit omne meritum, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Videatur idem Augustinus quasi. 2. ad Simplicianum in principio, vbi multa habet ad hoc propositum, præsertim, ne aliquis arbitretur, se ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam; & rursus infra, sine præcedente misericordia Dei non posse aliquem credere, ut ex hoc accipiat facultatem bene operandi, & alia similia, quæ ibi videri possunt, & lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 20. ait non esse opus bonum, nisi quod procedit ex fide summi Dei. Videantur alia plura loca apud Suarez lib. 1. de gratia, capite vigesimo, numero, undecimo & duodecimo.

Eodem modo loquuntur ceteri. PP. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 7. super illa verba, quid molesti estis, &c. misericordia, inquit; præstatur fides, quia misericordia tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. S. Gregorius homil. 19. in Ezechielem